



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

13. De Litanis minoribus, cereo Paschali, qui die Ascensionis extinguitur.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

12. De Paschate.

Dies Paschatis vocatur ab antiquis *nobilitas anni, mensis decius, alma dierum, splendor horarum*. In hebræo est *transitus*, in græco *passio*, & rectè, quia per passionem Christi & nos cum ipso transivimus de morte ad vitam. *Sequentia*, quæ est in Missa, autorem habet hætenus incognitum. *Graduale* [quod & *canticum laborantium* appellatur] adhuc dicitur propter recens baptizatos, qui cum labore gradiuntur ad gloriam, quam Resurrectio Christi promittit. Additur Alleluja duplex ob spem, quòd stolâ gloriæ induendi sint, & quoad animam & quoad corpus. Pascha etiam *Sabbatum in albis* olim vocabatur, quia Angeli testantes resurrexissent Christum ex sepulchro induerant stolâ candidâ. Et hinc etiam alba sunt indumenta Sacerdotum.

13. De Litaniis minoribus, cereo Paschali, qui die Ascensionis extinguitur.

Litaniæ minores sive rogationes, quæ fiunt triduo ante ascensionem vel institutæ vel saltem restauratæ sunt à Mamerto Viennensi Episcopo ob incursionem luporum in galliam. Minores vocantur, quòd à minore Episcopo & loco respectu S. Greg. Papæ & urbis Romæ institutæ sint. In Ascensione Domini extinguitur cereus Paschalis post lectum Evang. ad repræsentandum Christi discessum ab Apostolis in cælos.

Cur in Sabbatho Sancto Paschatis & Pentecostes tantum sit solennis Baptismus. De Jejunio & Sabbatho ante Pentecosten.

DUO Sabbathata tantum in anno scilicet Paschatis & Pentecostes solemniter coluntur baptismate, ne differentia videatur inter Filium & Spiritum S. quorum est æquè mundare animas à peccato. Etiam in utroque Sabbatho respectu benedictionis fontis & baptismi est idem ordo. Post nonam incipit, quia horâ illâ Cornelius à S. Petro baptizatus est, & eâdem horâ Christus expiravit, cujus mortem & sepulturam baptismus significat. Adventus Spiritus S. etiam à Christo vocatur baptismus. *Baptizabimini Spiritu S. Act. 1.* Et quia Apostoli hoc modo baptizati baptizarunt aquâ ter mille in die Pentec. meritò hoc instante festo baptismus sollemnis celebratur.

Jejunium 4. temporum hâc hebdomade fit ad imitationem Apostolorum, quia sponso Christo in cælos abeunte, & jam absente jejunio se dederunt, & ob instantem Spiritus S. adventum delicias ablegarunt. Quia tamen adhuc tempus Paschale durat, festivum adhuc tantum est jejunium, quod non dicatur in eo *Flectamus genua.* In Sabbatho hoc 4. temporum omittitur post quintam lectionem *Canticum trium puerorum*, quia statim subjungitur *Hymnus Angelicus*, nobilior hymno trium puerorum, dein nè duo hymni consecutivè canantur à Choro.